

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe


Cogitata Quaedam De Historia

**Mangelsdorf, Karl Ehregott
Tamm, Johannes Leberecht**


Halae Ad Salam, [ca. 1740]


VD18 1299152X-001

urn:nbn:de:bsz:31-95019



XII C. 23





COGITATA QVAEDAM

DE

HISTORIA.

15

AD DISPVTANDVM PROPONIT
DIE XXI. MAII HORA NONA

EX DECRETO

ORDINIS PHILOSOPHORVM AMPLISSIMI

CAROLVS EHREGOT
MANGELSDORFIVS

A. M.

ET

IOHANNES LEBERECHE TAMMIVS.
ANHALTINO DESSAVIENSIS.

HALAE AD SALAM
TYPIS HENDELIANIS

*J. Schall
vire et bene
valere*

DOCTATA PYAEDAM

U E

HISTORIA

ANNO DOMINI 1710

JOHANNES LEIBNIZ

PHILOSOPHUS

LEIBNIZ

1710

LEIBNIZ



Inter historiarum scriptores vel omnium pessimos esse, qui res gestas non nude enarrant, verum iudicia sua adscribunt, recte mihi aestimare videtur Ruffavius.

* * *

Quum Musae artesque liberales sedem suam domiciliumque Athenis iam iam posuissent, ibique in honore essent maximo, in Atheniensibus et morum prauitatem, et inconsiderantiam negligentiamque rei publicae gerendae iure culpanus.

* * *


Hammonis ad oraculum Alexander profectus est, Iouisque filium se nuncupandum curavit, vt aboleret, qua mater laborare videbatur, suspicionem adulterii.

* * *

Expeditionem in Aegyptum Cambyfes fecit, vt iniuriam, matri illatam ab Amasi rege, vlcisceretur. Ex quo potest intelligi, cur victor in deuictos, atque inter caeteros in domum regiam egregie faeuierit.

* * *

Fieri non potest, vt de rebus gestis rectum omnino feratur iudicium, vsque dum relicta sint in historia gentium omnium vni-



nerfali ſpatia illa vacua, quae conſueuimus ingenio et coniectura occupare. Namque inter ſe tam arcte cohaerent omnia et conſpirant, vt pars a parte plane nequeat diuelli. Propter diſſidia mercatorum, vt exemplo nuperrimo vtar, quanta armorum vi intergentes Europae depugnatum eſt? at quam multa ſunt in hiſtoria antiqui temporis, quae neſcimus? quam manca eſt rerum Aſiaticarum notitia? ne nomina quidem regum omnium apud Parthos nouimus! multa latent in rebus Arabum, quos Europa atque Aſia tam diu horruerunt! Celtarum, Scytharum, Indorumque hiſtoria quam implicita eſt et incerta! Quare tantum abeſſe exiſtimo, eorum vt improbanda ſit aſſiduitas, qui in eruendis monumentis vetuſtiſſimis deſudant, vt potius laudibus quam maximis extolli debeat et celebrari.



Caremus perfecta abſolutaque literarum hiſtoria, et, niſi me omnia fallunt, diu ea carebimus. Iam enim a via illa regia, quamuis difficilis ea ſit ingredientibus, *ſeuere proficiendi* magis magisque deſlectimus. Quae quidem habemus huius argumenti fragmina et ſpecimina, ſi quis ad rectam regulam examinauerit, recte me exiſtimaffe, facile intelliget. *Baco*, vir Anglus et apud ſuos olim et apud poſteros nominis maximi, oſtendit rationem ſcribendae hiſtoriae literariae facile optimam. Ex omni, inquit, memoria repetatur, quae artes, quae doctrinae, quibus mundi aetatibus et regionibus floruerint. Earum antiquitates, progressus, etiam peragrationses per diuerſas orbis partes, migrant enim ſcientiae, non ſecus ac populi, rurfus declinationes, obliuiones, inſtaurationes commemorentur. Obſeruetur ſimul per ſingulas artes, inuentionis occaſio et origo, tradendi mos et diſciplina, colendi et exercendi ratio et inſtituta. Adiiciantur etiam ſectae et controuerſiae maxime celebres, quae homines doctos tenuerunt: calumniae, quibus patuerunt; laudes et honores, quibus decoratae ſunt. Notentur auctores praecipui,
et


libri praestantiores, scholae, successiones, academiae, societates, collegia, ordines, denique omnia, quae ad statum literarum spectant. Ante omnia etiam id agi volumus, quod civilis historiae decus est, et quasi anima, ut cum eventus causae copulentur: videlicet, ut memorentur naturae regionum ac populorum, indolesque apta et habilis, aut inepta et inhabilis ad disciplinas diuersas: accidentia temporum, quae scientiis aduersa fuerint, aut propitia; zeli et mixturae religionum, malitiae et fauores legum; virtutes denique insignes, et efficacia quorundam virorum ad literas promouendas et similia. At haec omnia ita tractari praecipimus, ut non criticorum more in laude et censura tempus teratur; sed plane historice res ipsae narrentur, iudicium parcius interponatur.

* * *

Sunt quidem gentium regnorumque fata in eo sibi similia, ut a paruis initiis sensim incrementum, atque cum ad fastigium peruenierint, serius ocys in peius ruant. Atque etiam causae magnorum eventuum et fortunae publicae eadem fere videntur. Neque tamen inde recte colligitur, quod aliquos facere animaduerto, peculiari gentium quarumlibet historiae non esse studendum magnopere. Namque nihil vnquam memorabile fit et geritur, quin vel extrinsecus momenta aliqua noua, eaque satis grauia, ad rem accedant, formamque adeo et faciem rei immutent.

* * *

Amor ille patriae, qui flagrauit olim in animis ciuium, eosque ad ingentia consilia ac facta incendit, iam dudum est, ex quo vim omnem potestatemque amisit. Neque poterit vnquam in hominibus nostri seculi fortiter exurgere, quippe quibus facile perinde est, in terra patria, vel in aliena vivant. Laxata sunt illa vincula, quibus olim patria et ciues continebantur; patria nunc indigenas neque alit, neque alere potest eo modo, quo Roma Romanum, Graecia Graecum ciuem sustinuit; commoda ciuium singulorum priuata non, quo olim, indissolubili nexu coniuncta sunt.



sunt cum commodo publico, neque nunc salus priuata pendet vnice a salute publica; denique sublatus est paries ille intergerinus quasi, qui discernebat olim populos per mores, consuetudines, caerimonias, et quae sunt huius generis instituta alia. Apud nos amor patriae nihil amplius esse potest, quam persuasio, quod in patria facile melius viuatur, quam alibi, atque oriunda hinc erga dominantem legesque obedientia spontanea. Haec vero nititur in eo, vt subditi de sapientia imperantis, siue de scientia atque propensione salutem omnium et singulorum stabiliendi promouendique, nequaquam dubitent. Atque hic est amor patriae, qui in animos hominum potest etiam per institutionem sese insinuare.

* * *

Ex quo ludi equestres in Germania sublati sunt, imperium et potestas regnantium augeri coepit; subditorum vero libertas deminui.

* * *

Solon Atheniensis multo inferior habendus est Lycurgo Spartano. Hic enim perfecit strenue, quod ille timidiuscule modo tentabat.


* * *

Sophistae fuerunt perditissimum genus hominum, multumque vel *more suo disputandi* ad corruptionem morum contulerunt.

* * *

Parisiis, litterarum felicissimo in domicilio *de Villefroy*, vir linguae Armeniacae propter scientiam vel nuperrime a *Biornstatio* celebratus vt cum maxime, in scribenda Armeniae vtriusque historia elaborat. Fontes ille adiisse se testatus est, quos Europa fere ignoraret. Quare placuit, breuem illam, quam ipse vniuersè dedit, historiae Armeniae notitiam hic apponere. Regnum Armeniae conditum esse ad annum a creato mundo 2000, scriptores Armenii assueuerant. Conditor fuit *Haic*, filius *Tbogarmae*, nepos *Iapheti*. *Haici* posterii regnarunt vsque ad *Ara pulchrum*, sub quo Semiramis Armeniam expugnauit. Inde reges huius terrae

rae paruerunt regibus Assyriae, donec orta sub Sardanapalo per Arbacem seditione, *Paros rex* Armeniae tricesimus sextus se terrasque suas in libertatem vindicaret. Cuius e posteris septendecim Armeniam tenuerunt, vsque ad Alexandrum M., qui regnum hoc subiecit sibi. Ad annum ante natum Christum 326 *Arsaces* strenuus debellauit Armeniam, quam post *Arsaces magnus*, nepos, *Valacassi*, fratri minori cessit. Ab eo gens regia Arfacidarum traxit originem, inter quos *Tigranes*, fama nominis, *Artaxafiles* vero fortuna aduersa eminuerunt. *Arsacidae*, ad quos *Abgar* etiam referri debet, Armeniam sub imperio habuerunt vsque ad annum post natum Christum 451. Tum enim partem regni Imperatores Graeci, partem alteram rex Persarum ad se traxerunt, ita tamen, vt praefecti indigenae regnum administrarent. Anno 712 *Arabes* Armeniam subiugarunt, eaque usque ad annum 765 fuit sine regibus. Tum vero *Achat*, ex antiqua gente Bagratidum oriundus coniuuentibus Imperatore Graeco et Saracenis, rex Armeniae creatus est. Egente *Bagratidum* reges nouem in Armenia maiori regnarunt annos 279. Anno euim 1044 Graeci vna cum Saracenis sustulerunt regium imperium, regemque ultimum, *Tarfum*, urbem Ciliciae vt confugeret, coegerunt. Annis vno et triginta post, qui reliqui erant e familia regia in Cilicia, defecerunt ab Imperatore Graeco, regemque sibi legerunt *Ruben*, cognatum *Ghagici*, qui genus ducebat a gente *Bagratidum*. Atque a *Rubeno* illo tribus *Rubeniana* in Cilicia cognominata est, e qua orti fuerunt, qui anno 1199 regium nomen titulumque in Armenia assumerent. Hac e familia tredecim, vel quatuordecim reguli libere regnarunt. Leo quintus, omnium nouissimus, in Galliam demigravit, opem auxiliumque imploraturus, mortuusque et sepultus est Parisiis anno 1393. „Hanc ego *Villefridi* sciagraphiam proposui, vt in promptu esset, iudicare, quae et qualia a Gallo illo possemus expectare, et quod pretium fontibus illis statuendum esset, e quibus ille ait omnia se hausisse. Nam vel ipsa haec breuis descriptio erroribus suis laborat. 1) *Haic*,
 fi



si quis fabulis his de prima gentium origine fidem habere velit non fuit pronepos *Iapheti*, verum adnepos. Nam *Moses Chorenensis*, qui seculo quarto scripsit historiae Armeniacae libros tres, quos *Whistonii* fratres in latinam linguam transtulerunt, edideruntque Londini 1736. *) ita genus ducit: *Iaphet*, *Gomerus*, *Thiras*, *Thorgomus*, *Haesus*. 2) *Araj*, non *Ara* vocatur, quo interfecto Semiramis Armeniam expugnauit. 3) *Parojr*, non *Paros*, a Sardanapalo defecit. 4) *Valacassēs*, siue *Valarsaces* ab Armenis effertur *Valbarschak*, siue *Vagharschak*. 5) *Artauasiles* rectius dicitur *Artauasdes*. 6) *Abgar* ille fabulosus, qui inter alia literas ad Christum, et de Christo ad Tiberium dedisse fertur, e serie regum Armeniae omnino est expungendus. Nam pro *Abgaro*, quem dicunt secundum ab *Artauasde* regnasse, regnauit *Tigrines secundus*. 7) *Arabes* iam ab anno 653 incursionibus Armeniam vastarunt, eamque tandem anno 693. sui iuris fecerunt. 8) *Achat* Armenis dicitur *Aschut*, qui fuit filius *Abasi*, Praefecti militiae Armeniae. 9) Egente *Bagratidum* non nouem, verum undecim, vel duodecim reges regnarunt, si *Haicum* iis annueramus. 10) A Graecis Armeniae regnum non sublatum est. Qui sustulit, *Toghrul Begjus* fuit, *Seldg-jucida*, *Vzorum* Turcicae gentis dux. Factum hoc est, Anno castello capto, A. 1056.

*) Librum hunc, nostris in oris perrarum, communicauit mecum pro sua, qua literas literarumque amantes iuuare solet, humanitate Cl. *Thunmannus* cui, in usum Academiae nostrae, vitam apprecor quam longissimam.



